



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX

Dominica III. Qvadragesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

se ab imminente periculo defenderet, nauem exonerarunt, & omnib. quas uehebant mercibus in mare turbidum coniectis, Ionam quoque Prophetam in undas precipitem dederunt. Ad eundem plane modum, cum saua peccati procella animæ ingruerit ipsi demones nauem inanem & vacuum reddunt, ac primo omnes gratiarum, meritorum, omniumque bene ac recte factorum merces ac thesauros in pelagus, pelagus inquam æternæ damnationis, coniciunt, ac deinde miseram animam eodem deturbant.

Quemadmodum vero magnus ille fluuius Hypanis, licet dulces secum aquas uehat, ubi cum paruo quodam amne commiscetur, dulcorem amittit; & amaritudinem quandam contrahit, ita quoque anima virtutibus & meritis instar latissimi torrentis abundans, cum enim amara illa peccati uena ac scarurigo in eam sese exonerat, confestim aquæ eius dulcissimæ, in amaras conuertuntur. O infelix peccatum! quantum malitiæ & exitij tecum conuehis. At longe tu infeliciores, o peccator, dum tam benignum patrem deseris, ut in regionem longinquam, adeoque tibi infortunatam, in qua extrema fame affigeris, in qua omnem tuam substantiam dissipas, in qua tanta tibi accidunt infortunia, secedis? Quobrem expergiscere aliquando o prodige, expergiscere, aperias tandem aliquando oculos: si ea tua fuit insania: eaque stultitia, ut iter hoc fueris ingressus, iam reuertendi tempus est: ecce opportuna redeundi occasio se præsentat: ecce, Deus ipse ultro te querit, & te ad sese uocat. Egrede igitur, desere lutulentos hosce fues, desere pellaces illas meretrices: ac patri tuo ad genua ac pedes prociide: illi cum lacrymis, suspirijs ac singultibus: *Pater peccauit in calum & orare*; In calum inquam, iucundissimam Angelorum societatem, ac suaue illud Beatorum consortium deserendo ut me porcis adiungerem. Peccaui, fateor, coram te, & malum coram te feci. unde grauius supplicia sum commertus: verum adeo misericordiæ tuæ confido, ut certo sciam fore mihi ut ignoscas: tu enim es, qui non desideras mortem aut damnationem peccatoris: tu, inquam, qui adulteros reuuis condemnares, tu qui miscellæ Chanaanæ miserus es: tu

denique qui poenitentes Magdalenas in gratiam admittis: itaque non dubito, quin & mei, inquam, miseri prodigijs miserurus, quædam mea, prohi dolor, fuit calamitas! heu miserum me! quomodo ita me seduci, & fascinari permisi: ita me decipi ac demerari: ut domo tua relicta in hocce infelix desertum secederem, desertum dico in quo omnes fame moriuntur, fame se, gratiarum, quas nobis soles elargiri: mercenarijs tuis & seruis familias (sanctis inquam & Angelis) in summa quiete ac tranquillitate interea uiuentibus? Misere igitur mei Pater æternæ, respice prodigum hunc, conuerte misericordiæ tuæ oculos in hunc Christianorum cœtum, benignitatem tuam omnibus hominibus ostende: nosque omnes, magna animi contritione ac poenitentia, è regione illa longinqua peccati redeuntes in domum tuam, ubi splendida illa ac festiua cœiuiua parata sunt, & ubi perfecta securitas, & securæ tranquillitas est, dignanter admitte: in gloria se cœlesti, ac nullo unquam tempore terminandam: ad quam nos Pater æternus, Filiusque eius, ac Paraclitus Spiritus sanctus perducere dignentur, Amen.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Partitio.

1. *Odia ac prælia Christi & Satana.*
2. *De potentia ac malitia Satana.*
3. *Cur Damon suos obcaecat?*
4. *Cur elinguet?*
5. *Cur surdefaciat ad diuitios suos Cæcodamon.*

Erat Iesus eiciens demonium, & illud eremum. Luc. II.

FIGURA.

IVeundum profecto spectaculum fuit, Auditores, pusillum illum pastorem Dauid, *1. Reg. 7.* qui in Iudææ montibus patris sui greges pascebat, continuo in leonem qui onem diripuerat, insurgentem eumque prosternentem, & prædā iam raptam faucibus eripientem, ac baculo effugantem, intueri. An multo iucun-

iuventius spectaculum hodierna die nobis in hoc Euangelio spectandum proponitur: cum sc. bonus ille pastor Christus, qui ad Patris sui aeterni greges seruandos in mundum descenderat, leonem illum infernalem, greges inuadentem, ac miseram ouiculam crudeliter diripientem, inuadit, praedam desideratam violenter extorquet, eumque procul a gregibus, ad vsq; infernalem barathrum, repellit erat *Iesus eiciens demonium, &c.* Vt igitur audacius & securius de expulsore hoc de quo expulsione loquamur Spiritus sancti auxilium, precibus gloriosissima virginis nobis rogandum est. Angelorum igitur consueta salutatione eam salutemus.

Ave Maria.

Quomodo Amilcaris in Romanos.

Tantum, tamque immortale Carthaginensium Dux Amilcar aduersus senatum populumque Romanum odium conceperat: ut filium suum Hannibalem, prima vix dum verba balbutientem, iurate coegerit, nullo se vniquam tempore cum Romanis pacem initurum: sed implacabili odio, mille molestijs & bellis, vti parens fecerat, quacumque ratione posset, terra mariq; imperium eorum se diueraturum, an non hoc vere ingens odium est? Verum si a profanis hisce historijs ad diuinas conuerti volumus, maius sane & longe implacabilius inter Deum & diabolum reperimus. Vix enim Verbum illud aeternum ad mundum redimendum destinatum erat, quin Pater omnipotens ipsum iurare cogat, nullo se vniquam aeo cum Principe tenebrarum in gratiam rediturum. *Iurauit Dominus & non poenitebit eum.* O ingens & immortale odium! *Odisti quidem Domine, omnes qui operantur iniquitatem.* verum praeter ceteris, ipsum iniquitatis auctorem diabolum, cuius odij sexcenta in diuinis litteris exempla indiciaq; inuenimus.

Psal. 109. Psal. 5.

Figura quibus odium Dei & diaboli designatur. 1. Reg. 5.

Gen. 3.

Numquam potuit Arca foederis & simul idolum Dagon in eodem loco subsistere: ad eundem quoq; modum, arca illa humanitatis filij Dei vix in altari incarnationis, in templo Virginis Dei parua fuit collocata, quin statim Satan, idolum scilicet Dagon, conciderit & penitus fuerit comminutus. Hoc namq; olim

Tom. Bessai Quadrage.

in paradiso tibi praenariatum erat. *O Satan: Ponam inimicitias inter te & semen eius, & ipse conteret caput tuum.*

Vix Isaac in domo Abraham natus fuit, quin ecce statim inimicitia, quin Ismael eiciatur foras, *Eice ancillam & filium eius:* ita *Gen. 21.* quoque vix Verbum illud Dei in aeterna voluntatis palatio praedestinatum fuit: quin ecce tibi statim odia, ignes, & bella grauissima: quin ecce Ismael, Satan ille eiciatur foras, caelo expellatur, mundoque extrorsis factus ad vsque infernale barathrum deturbetur.

Gen. 8.

Non potuit columba, simul & coruus, in Arca diluuij aquis iam imminutis, subsistere: ita etiam, diluuiio peccati originalis cessante, Patreque aeterno nobiscum in gratiam reuerso, hominumq; redemptione iam certo certius promissa: non potuit Verbum illud aeternum, per columbam designatum, & diabolus per coruum denotatus, in magna illa mundi arca, id est, Ecclesia, simul consistere. Nobis ne igitur figurae desunt?

Porro inimicitia illa mundo ipso antiquiores sunt: vix enim orbis creatus erat, ipse creaturae vix dum e nihilo prodierant, quin ecce tibi in ipso primordio certamina, pugnas, & praelia in ipsis caelorum habitaculis, Verbum inter & diabolum: quod praedium ad viuum Ioan. in Apocalypsi oculis subiicit: *factum est praedium magnum in caelo, Michael, Apoc. 12.*

& Angeli eius pugnabant cum dracone, & dracone pugnabat, & Angeli eius. Hem quam cruentum certamen! Hinc nempe omnes Angeli filium Dei duces habentes illinc vero diaboli cum principe suo Satan, & dracone in acie constituti sunt. Redintegratum potro fuit

Gen. 5.

hoc bellum in paradiso, cum nimirum Pater ille aeternus & Deus his Satanam verbis aggressus est: *Ponam inimicitias & implacabile odium inter te & semen Virginis, id est, inter filium meum, quoad naturam & substantiam, & te demptorem mundi, quoad gratiam & misericordiam.* Toties quidem illos decertates vidistis, modo in David & Goliath, modo in Iob & Satan, modo in David & Saul, modo in Iudith & Holoferne: deniq; infinitis alijs rationib. & congressibus. Verum aliam vobis & inauditam figuram proferam, in qua

1. Reg. 17.

Iob. 1. & 2.

1. Reg. 22.

& 24.

Iudith. 13.

Gen. 3.

gemellos fratres, Esau & Iacob in matris Rebeccae utero video colluctantes, & calcibus sese mutuo collidentes: *collidantur in utero eius parvuli*. Praeclara profecto historia Iacob tandem Esau fratrem expulit, & inimicitiae illae iam ab ipso utero & conceptae, & in vita ipsius exordio exorta toto vite tempore perdurarunt: videmus namque in adolecentia eos de primogenitis litigantes, in iuventute de benedictione paterna, in senectute de successione in hereditate, toto denique vitae cursu inter se cœcertare & digladiari. Quid porro vos infelices fratres huiusce vestris certaminibus praesignatis: quam turbenique quidem Iacob, Verbum illud diuinum: tuque agrestis Esau, Luciferum: fratres ambo, ambo eiusdem parentis filij: verum vnus quidem natura, alter vero creatione: vnus quidem genitus ab aeterno, alter creatus à principio. Conclufi adhuc ambo in sphaeris caelestibus, non secus atque illi in matris utero continebantur, cum certamen hoc inierunt: *factum est praelium magnum in caelo*, & agrestis ille Esau, Satan scilicet, caelo deturbatus est: ab eoque prima tempore bellum hoc inter vtrumque ceptum, hactenus perdurauit. In deserto nepe de adoratione decertat in cruce de redemptione: denique ipse Christus nihil aliud toto vitae suae tempore spectauit, quam inimicum hunc persequi: & penitus exscindere. Ecce cum iterum in hodierni Euangelij arena bellum hoc instaurantem: *Erat Iesus eiciens demonium*. Verum ut ex hoc regio congressu voluptatem aliquam haurire possimus: primo de eo qui eiecit, ac deinde de eiccto verba faciemus.

Primo itaque eicctor & expulsor ille demonum filius Dei est, Verbum inquam carne circumdaturum. Est infractus ille & indomitus monstrorum debellator Hercules, qui Chimæras expugnat, Hydras domat, apros prosternt, leones Erimanthios suffocat. Est celebris ille Theseus qui in Labyrintho Minotaurus filii ductu deceptos interficit. Denique omiffis fabulis poetice est filius Dei, ille furiarum, monstrorum, hydrarum, diabolorum scilicet, in deserto mundi huius, expugnator: *In hoc enim apparuit filius Dei ut dissoluat opera diaboli*. Moyses in Aegyptum descendit, ut populum à captiuitate & feruitute

Pharaonica eriperet, ereptoque per mare rubrum in terram promissionis deduceret. Iesus Redemptor noster, ita quoque: è caelo in mundi huius Aegyptum descendit, ut nos è iugo Satanæ, quod subieramus infelices, eriperet, ereptoque per rubrum Passionis mare traduceret, viamque patefaceret, qua ad terram aeternae promissionis deueniremus.

Erat Iesus eiciens demonium. Talem Scipionem requirebat cruentus hic Hannibal, talem Vlyfsem informis hic Polyphemus: ad immentum illum gigantem expugnandum paruus hic Dauid desiderabatur. Fuit vere res admiratione digna, in Babylone à lapillo de monte deuoluto ingentem illam statuam deici & in cinerem redigi. Erat hoc praesagium, Auditores, de Iesu Christo, qui toties in sacris litteris petra appellatus est. *Petra autem erat Christus*, è caelestibus montibus descendente & in infernalem hanc statuam hodierna die ingruente, illam deiectam & in cineres redactam. Quid obsecro significabat, ad sonitum clamoremque tubarum sacerdotum, muros lerichuntinos, qui expugnari non posse putabantur, corruere & collabi: nisi ad vocem magnum illius sacerdotum Principis, meritorumque eius adiunctione, opera Satanæ, quae instar muri validissima & inaccessibleia erant, solo tenus esse prosternenda.

Habebat olim in Aegypti fluuijs ingens draco, qui postquam aquas omnes infecisset & turbasset, tandem à Domino effugatus est, & aquis pristinus suus color & nitor redditus: ita quoque draco ille Acherontæus, qui in Apocalypsi septem capita & decem cornua habere scribitur, iam longo temporis spatio mundi huius mari infederat, venenoque suo ac terro contagio omnes eiusdem aquas infecerat: ac videte hunc hodierna die à Christo Domino expelli, & aquas pristino saporis nitoreque restitui.

Inter omnia quoque prodigiosa, quae in Babylone olim Daniel Propheta fecit opera, hoc in praecipuis fuit, cum scilicet idolum Bel, quod omnes magno cultu adorabant, deiecit & penitus comminuit. Totus olim pro dolor orbis omnesque adeo mortales, Satanam veluti Deum adorabant, & ecce hodie noster ille Daniel, Christus idolum hoc comminuit, & ex-

Apoc. 12.

I. Ioh. 17.

1. Ioh. 3.

Exod. 1.

3. Reg. 17.
Dan. 1.Figura
2. Cor. 10.

Iof. 6.

Ezech. 17.

Apoc. 11.

Dan. 14.

& ex-

& expellit: quod inter omnia eius opera non protecto postremum est.

Magnum sane Samsonis facinus fuit, & masculi atq; robusti animi indicium, cum ad Philisthæam filiam, cuius amore captus erat, descenderat, in via leonem suffocatis faucibus dilacerasse. At nonne multo iucundior hic historiam videmus? Samson enim noster Jesus Christus cum è cælo, vilissimæ Philisthææ, humanæ scilicet naturæ amoribus tractus, eam sibi per incarnationem indissolubili vinculo copulaturus, descendisset: leonem hunc rugientem in via offendas, cum iuauit, ouem faucibus eius inhaerentem eripuit, atq; eum tantum non manibus suffocauit: *Erat Iesus eiciens demonium.* Insignis profecto expulso!

Ad alterum concionis nostræ punctum iam redeamus, & simul quis ille, qui expellitur sit, dispiciamus: expulsus est diabolus, humani scilicet generis hostis infensissimus, atque omnis adeo mali fons & origo. Eicitur ex hominibus & corporibus: ex animabus, ex ipso denique mundo, ad infernales vsque abyssos & tenebras exteriores: *Erat Iesus eiciens demonium.* Nolo hic potentiam eius exponere, nolo commemorare robur, scio, quid quid naturaliter fieri potest, eum facere facillime, etsi non ea quæ ipsam naturam excedunt. Potest corpora assumere, tempestates & procellas cedere, sensus fallere, artes & scientias edocere, montes denique transferre. Quid nisi ab ipsis namque Angelis montes illos & orbes cælestes moueri tradit Aristoteles? Potest torquere corpora, testis est Job: potis est mentem turbare, expertus est Saul: sensus fascinare, Nabuchodonosor testimonium dabit: potest præterea & homines interire: exemplo sint septem illi mariti Saræ: verum omnia hæc permittente Deo. Satis itaque mihi videtur malitiam eius, quam potentiam describere: cuius hic quoque exemplum euidentissime expressum cernimus. Videte demoniacum, infelicem sane hominem, quod nescio quo fato in nefandas eius manus incidit, tribus ab eo grauissimis vulneribus fauciatum: *Et illud erat mirum*, ait Lucas: *Et surdum*, ait Mattheus: *Et sordidum*, vt addit Theophylactus.

O nabiam infernalem! o crudelitatem vere Egregius diabolicam! Intueri hic datur tria illa anti-conceptus, qua vulnera, quæ natura humana iam inde à primordio in paradiso secundum caput acceperat, quorum etiamnum cicatrices in animo gestamus: occæcationem scilicet in animo & mente, silentium in voluntate, surditatem in concupiscentia. Ecce hic tres illas hastas, quibus cruentus ille Joab, Adami cor (veluri Absolomi) ex arbore vitæ pendentis, transfudit. Hinc discatis oportet o infelices animæ, quoniam in statu constituta sitis, quoniam in periculo versamini, cum cruenta illa bellua, vos sub potestate sua possidet: aures primum obrurat, linguam deinde impedit, oculos demum excæcat: imo vt nec audire, nec loqui, nec videre possitis: omnes namque sensus penitus occupat.

Holofernes princeps militiæ regis Nabuchodonosor, in obsidione Bethulie omnes aquas & canales fontiumque scaturigines aut obstruxit, aut alio deriuauit, vt hac ratione obsessi aque penuria laborarent. Eodem plane modo infernalis ille Holofernes in animarum nostrarum agit obsidione, eodem vtitur stratagemate; sensus n. exteriores, qui instar conductuum & meatuum sunt, (nihil est enim in intellectu, quod prius non fuerit in sensu) occupat: atque ita occupat; nullum vt auxilium afferri, nullus vt extrinsecus commeatos in miseris illas animas fame & inedia deficientes queat induci.

Incestuosus Amnon, Thamar sororem constuprare cupiens, nequis obsecus facinoris adesser, omnes cubiculo coegit exire, pessulaque ianæ obdito, in conclauis infelicem virginem oppressit. Non secus nobiscum fornicatorum ille princeps Satan agit; omnes namque gratias virtutesque expellit, sensuumque nostrorum portis obseratis, sensus ipsos inuadit, rapit & violenter eis abutitur. Quæ admodum etiam Noe Arcam ingressus, confestim fenestram post se occlusit, veritus ne diluuii aquæ per eandem penetrarent: ita & demon, vix namque animæ nostræ arcam intrauit, quin sensuum fenestras occludat: vereretur namque, ne aquæ diluuii misericordie Dei in illam influant. Postquam Galaditæ Ephraeos debellarent, omnia statim vada & transitus Jordanis occupauerunt, ne

14.

17.

Qui expulso est, diabolus est.

Arist.

lib. 2.

4. Reg. 16.

Dan. 4.

Job. 5.

17.

2. Reg. 18.

Iud. 7.

Figura &

Allegoria.

2. Reg. 12.

Gen. 8.

qua effugij spes superesset. Id ipsum & diaboli moliantur. Etenim cum semel animam ab his profligari contigerit, sensus cōfestim agrediuntur, quos velut portas quasdam & ingressus occupant, ne per eos anima ad coelum cosfugere possit, aliqua positatione ascendere. An non præclara hæc figura videtur, Auditores, quibus tyranni huius sauitia versutiæq; exprimitur. Verum enucleatius modo & singularim fraudes eius peruersitateq; detegamus.

III.

Prima, quæ dæmon animæ infligit plaga, exæcatio est.

Judith. 14. 2. Reg. 25.

Marc. 14. 1. Reg. 11.

Diabolus: aquila cōfertur.

Psal. 41.

Primum itaque, quod anima lethale vulnus accipit, est oculorū effusio, visusq; oratio, atque id ideo, ne miseriam calamitateq; in qua versatur, cernere queat. Id ipsum fecere olim Samsoni Philistæi, & Sedechiæ Regi Babylonij. Jesu Christo Seruatori nostro impij Judæi: scriptum est enim, *Et ceperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem eius.* Ammonitarum tyrannus Naas, à Gabonitis ad pacem fœdusque in eundem sollicitatus: pacem prius sese in iurum negavit, quam omnibus oculos, tragico sane exemplo & inaudita immanitate, eruisset. Eadem est Satanæ impietas, eadē omnino crudelitas: nunquam aliquam animæ pacem concedet & quietem, nisi prius eam penitus exæcaverit.

Naturalium rerum scriptores tradunt, auium reginam aquilam, dum ceruum, qui mirabili pernicitate pedum est, comprehendere parat, in arenam aliquam descendere, & alarū in petu & agitatione plurimum arenæ in plumis colligere: quas cum oppletas putat, inter cerui cornua delabi: excussisque vehementer alis, oculos eius arena opplere, ita ut ille visu orbatus per agros & inuia discurrens, rabie desperationeque actus, sese ex confragosis & altissimis rupibus præcipitem deiiciat, vbi deinde ab aquila semper præda superimminente deuoratur: Diabolus, Auditores, vultur quidam est & accipiter, atque ira sæpius in sacris literis nominatur: sed ipsi aquilæ versutiæ & fraudulentiæ par: cū enim animas nostras invadere parat (quoties ceruo cōparatur, ut in *Psal. Quem admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus: ceruus nempe cursu vellet, quid enim spiritu & mēte*

hominis velocius: ceruus duobus communitus cornibus amore erga Deum, & erga proximum) aquila illa in arenam mundi huius sese conicit, alas pulvere complet, pulvere inquam honorum, dignitatum, voluptatum, & vanitatum: deinde vero inter animarum cornua intercidens, ibique alas expandens, superbiam inquam, & diuitias, vanitatemque concutiens, oculos eis dignitatum, beneficiorum, honorum, omniumque vanitatum pulvere opplet: quæ cum hac ratione oculos oppletos habent, nesciunt, prohi dolor! quoniam ferantur & in interitum, exitiū, horrendumque præcipitium labuntur, quarum faucibus, vbi nefanda illa auis deinde insilierit, misere eandem suffocant.

Videlicet hoc cum animabus facere consuevit, quod olim Dionysius ille Syracusanus purpurato Damocle: cui commemoratiæ opes, maiestatis, dominatus, rerum abundantiam, negantiq; inquam beatiorem quemquam fuisse, visus, inquit, o Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominē in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius intuentis diligenter ministrare, mensæ quoque conquistissimis epulis extruebatur: fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu surgente gladium è laqueariis equina appendum dimitti iussit, ut impederet illius beati ceruicibus: Itaque nec pulchros illos administratores aspicebat, nec plenum arcis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iamque ipse desinebat coronari. Denique exorauit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus non velle esse: eligens magis Damocles quam Dionysius esse. O vere egregiam & mysteriis refertā historiam. Eadem proisus nobiscum agit Satan: voluptates plurimas suggerit, delicias innumeras opponit, verū velat nobis oculos, ne eos attolentes diuinæ iustitiæ gladium ceruicibus nostris iminentem; exiguo patientiæ & longanimitatis eius filo suspensum; perhorrescamus. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Scit enim versuta illa vulpes, si vel parū oculos

Cicero, Tuscul.

Psal.

Diab. an. cor. m. di.

Psal. 7.

los

ipsos attollamus, & gladium exitium & interitum minitantem videremus, fore ut mensam hanc quamprimum deferruri, conuiuus valedicturi vanitates repudiaturi simus, asserentes, potius ex gurgitem cum securitate, quam superfluitate & abundantiam, cum discrimine & formidine eligendam. Atque hæc potissima causa est, cur nobis oculos eruat. ita quoque Balaam olim cæcū reddidit, qui Angelum stricto gladio minitantem, & vterius tendere prohibentem, nequaquam videre potuit, licet cum asinus irrationabile animal videret, o immensam igitur cæcitatem.

Lam. 2.

Diabolus
animas
muras red-
dit.

Et vero sceleratus ille Satan præter oculorum usum, etiam linguæ eripit: animasque inuadit protinus elingues reddit, ne Deum aut Sanctos in auxilium inuocent. Nam quemadmodum lupus raptam ouem quamprimum suffocat, ne balatu eius pastor excitatus, ad auxilium aduolat: ita quoque lupus ille rapax animas statim fauces occludit, ne pastorem ille Christus Jesus clamoribus gemitibus, precibusque earum excitatus, ad iuuandum festinet, inque ouile suū eas reducat. O infelix anima, quo in periculo & discrimine constituta es, cū semel hic te obmutasse obrigerit! æger cum loquela destitutus est, ad extremum devenit, deque salute eius desperandum est: tu quoque, o anima, cū semel linguæ usus tibi ereptus est, cum semel loquelam amisisti, adeo, ut amplius nec orare, nec rosarium aut Horas canonicas recitare, iam possis, in extremo discrimine versaris, salusque tua in summum periculum adducta est, ut vere illud Canticum hic usurpare liceat: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*: id est, surdus factus sum, & mutus, lingua mea constituta est, desunt mihi voces quibus fortunam & casum deplem, tibi que Domine patefaciam.

Psal. 37.

Diabolus
animas in
confessione
muras red-
dit.

Verum ante omnia in confessione animas nefandus ille parricida facit obmutescere, hic nempe iis loquelam eripit, hic indignatur peccata patefieri: quoniam Deus immortalis, hodierna die mutos repente est: Causidicus quidē solidos dies in subellus ad raium vsque instar tabulæ causas declamabit: Ecclesiastes in Cathedra omnes eloquentiæ flumine in sui admirationem rapiet. Mulier tres

hebdomadas indefessa gartiret etiam ceteris melius. At omnes illi cum coram sacerdote veniunt, loquelam amittere, instar piscis obmutescunt. Pudor hic præualeat, dominatur verecundia, adulteria, iniustitias, contumptelas, simonias prosteri aut confiteri, licet clanculum, erubescunt. Unde eleganter Chrysostomus: *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confessioni vero audaciam: inuenit diabolus, & peccato præbet audaciam, confessioni verecundiam.*

Hom. 3. de
penitent.Lib. 5. hist.
Ang. ab. 111.

Refert huius rei peridoneam, licet horribilem historiam Venerabilis Beda, de nobili quodam, qui cum diu in aula regis Angliæ, Regi & omnibus gratissimus, esset commoratus, tandem in grauissimum morbum incidit, quod cum ex rescivisset decumbentem inuirit: cumque, vi pius & laudabilis vitæ Princeps viâ morbi vehementia, ad peccatorum exomologesin faciendam adhortatus est, quo sibi rebusque suis prospiceret. Quo audito æger, cui diabolus iam linguam ligauerat, regi immensas gratias egit, quod tantam sui rationem haberet: simulque ait nondum eam morbi vim esse, ut conscientia eum suæ curam gerere necesse sit. Postridie reuersus Rex & læpiuscule deinde, idem semper repetit: quin & obnixè petit, ut conscientia suæ negotia disponderet, peccataque confiteretur. Quod cum æger semper differret, valentior se ratus quam reuera erat, simulque vana viuendi spe deceptus loquelam amisit & absque peccatorum confessione expirauit. Nolite igitur o peccatores in confitendo obmutescere, loquimini, vociferamini, & accusate vos ipsos, quantum poteritis.

Non sufficit tibi, o animarum interfector & homicida iam inde ab orbis primordio, Diabolus: easdem cæcas & mutas reddere, nisi etiâ surdas reddas. Dux, qui locum aliquem obsidet, ut citius eo potatur, omni ratione elaborat, ut omnes viarū aditus intercludat, nihil ut ad obsessos queat inferri. Ad eundem plane modum veteranus ille miles, validâ illam animæ arcem obsidens, sensus occupat, qui instar mearū sunt & viarū, per quos ad animâ recessus patet: & ante omnia aduigilat, ut excubia in auribus collocet, ne qua cœcio, ne qua facta inspiratio, aut aliqua salubris

exhortatio castigatioq; ad animā oblectam, per aures ingrediatur. Custos carceris sunt quidem captiuos in arca ac per omnia carceris loca inambulare, modo tamen repagula & ianuae exteriores pessulo obferatae sunt. Non aliter etiam custos ille carceris infernalis, sunt quidem peccatores obambulare: ridere, iocari, delictis tempus in vasto illo mudi carcere transigere, modo portae & aurium repagula obferatae sunt.

Insignis
conceptus.

Quemadmodum fures nocturni furtis & latrociniiis assueti, non prius domos perfringunt, quam omnes sopore depressos sciant, veriti, ne forte facto strepitu comprehendantur: verum, vbi omnes alium dormire existimant, vt ad nullum strepitum excitandi sint, tum primum vncos & scalas applicant, portas effringunt, arcas aperiunt thesauros effodiunt & diripiunt. Non secus celebris ille animarum latro, mille latrociniiis nobilis: animas raro aggreditur quam diu excubant: verum cum semel eas in soporem induxerit, sensusq; fascinoauerit, & in primis auditum: tum demum fraudes manifestat, tum animam perfringit secures & vncos admonet, & thesauros spirituales diripiens, omnes virtutes, quae animarum diuitiae sunt & opes, dissipat & perdit.

Matth. 14.

Notauit Euang. hist. noctu potissimum, cum dormirent homines, cumq; quiescerent voces hominumq; canumq; inimicum hominē zizania tritico superseminasse, vt hinc disceremus, Satanam, hostem hominem capitalissimum, non nisi nocte incedere, cum scilicet animae in delictis sopitae stertunt, & cum sensus, praesertim auditus, vigor amiserit, peccatorum zizania in conscientiae agro somnare. Quare hoc certum sit & ratum, omnem eius industriam & laborem in obrurandis auribus nostris potissimum consumi.

Similitudo.

Qui bombyces alunt quoniam sciunt eos ad tonitruū fragorem emori, hac eos arte ad strepitū assuefaciunt: nolas quasdam & crepiracula circū eos pulsare solēt, vt cum huic strepitū & sono assueuerint, tonitruū boatus cum audierint, non terreatur. Ad eundem modum agit & Satan: scit enim animas nihil adeo exhorrescere, quam iudiciorū Dēi ton-

nitrua, quae vbi auribus earum insonuerint, peccato moriūtur; hinc assuevit eas ad sonitum vanitatum suarum, ad strepitum negotiorum saecularium: vt hac eas ratione ad iterum adeo horribilium auditum faciat obsurdescere. O stragema inauditum! o versutiam nouam! aucte quae aliam prioribus non inferiorem.

Refert Scriptura sacra, falsos Ammonitarū prophetas, cum ciuiū suorum filios idolo immolarent (horrelico referens) ne paruulorum ploratus & vagitus parentes ad miserationem commoueret, tympana personare aliosque strepitus cetero confueuissē, vt hac via interfectorum ciulatum eluderent. O peccatores cum filios dæmonis immolatis & non Deo, cum inquam animas vestras idolo in sacrificium offeritis, easq; viuentes in tataras flammis praecipites deturbatis, ne earum fortassis suspiria, ciulatus & gemitus exaudiantur, ne conscientiae stimuli vos vestri misereri cogant, atq; ita ad cōuersionem excitent; diabolus, mundus & caro tympana perstrepuunt, musicis instrumentis, & symphonia, deliciis & tubis aures vestras demulcent, vt hac auditum ratione obtundant. quidnam vobis de hac versutia & arte videtur, Auditores.

O tempora! o mores! o casum deplorandum! Omnis pene mundus hodie quasi obsurdescit, infernales cruciatus nemo amplius percipit, nemo de iisdem sollicitus est, nemo de morte & extremis loquentes addit, nemo, hercule nemo. O surditatē incomparabilem! Nihil omnino auditur de extremo iudicio, nihil de caelesti gaudio. Itane homines à te, Satan, surdos factos, & audiendi facultate priuatos? Quod porro olim de caelorum orbibus asseruere Pythagoræi, eos harmonia quadam iucundissima, & ad numerum moueri, quæ si auribus percipi posset, omnes in admirationem sui raperet: quo minus autem ea intelligatur, per tumultus & strepitus, motusq; vehementiores, qui in mundo audiuntur, fieri. Idem mihi hic fas est dicere; in caelesti habitaculo iucundissimam quandam harmoniam, gratissimum concentum, summamq; iucunditatem esse: verum per Satanam & mūdum stare, quominus eadem percipere

Alius conceptus.
1. Reg. 18.
Leuit. 19.
Ierem. 21.

Hominum
surditas,
cipere

Exerere possimus: illi enim continuo strepitu, ingenti fragore & tumultu nos surdos reddunt, nostrumque auditum, sensus, rationemque depravant & perdunt.

Ignis conceptus.
 Tradunt Cosmographi, Nili accolae certis quibusdam locis, propter cōtinuum strepitum, fragorem, & imperum illum vehementem; quo fluvius ille montibus dilabitur, omnes propemodum surdos esse. Idem nobis de mundo dicere licet. Vehemens namque torrens & undosum illud ac spumans mundi mare, tanto impetu ruit, ut nos miseris, qui non ad ripas, sed in eius medio commoramur, penitus obsurdescamus, nihilque percipiamus eorum quæ in altero mundo geruntur.

Simile.
 At non vidistis vnquam apes cum aluearia sua fauosque parant deserere, sonitu & cymbalorum tinnitu, strepituque quodam dissono ab agricolis silti, & ad aluearia reuocari? Hoc eodem artificio vititur & ipse Satan: videns enim nos instar apum, fauos & mundi cauernas, vel peccata nostra velle deserere, & in aerem sustolli, cœlum que versus volare; accingitur ambitione, gula, libidine, aliisque ineptijs & vanitatibus, ijsque perstrepat, adeo, ut iter nostrum impediatur, volantes sistat, nosque in aluearia sua retrahat. Hæ sunt cæcitates, surditates, & silentia, infortuniaque; quæ nobis vaser ille & nefandus hostis, afferre consuevit.

Hæretici sunt demoniacus, de quo in E-uangelio.
 Quis porro ille dæmoniacus est, murus se surdus & cæcus? Hæreticus scilicet, Sectarius, Calvinista; adeo enim ille cæcurit, & adeo strabo est, ut apertissima quæque & maxime patentia non videat, ut nec montes in eius oculis incurrant, nec ipsa quidem Ecclesia, *Quæ mans est in vertice montium*; candelabrum quoque super montem positum, tabernaculum in sole collocatum. Ecquæ cæcitas est, Deus immortalis, ne solem quidem posse intueri! penitus namque cæcurit, qui corpus Christi in Eucharistia non videt, quod ibidem ea magnitudine, quantitate & substantia includitur, qua in cœlis ab Angelis & beatis animabus conspiciatur, licet non eodem modo, ut Theologi loquuntur. Septem etiam Ecclesia sacramenta, instar septem candelabrorum, de quibus in Apo. i. lucerna cernere nequit.

O talpam oculis captam! non videt visibile caput Ecclesie, Clementem scilicet VIII. qui instar Noe arcam salutis in mundi huius undis hodie dirigit & moderatur: qui instar Ioseph primus à Rege in mundi huius Agypto dominatur. Eheu, quam cæcus est, qui sexcentos errores, falsitates infinitas, barbarissimos & sollicitissimos innumeros, in parua illa viginti foliorum ephemeride nequit intueri? At nondum hic finis, quin etiam mutus es Calvinista: neque enim de suffragijs Sanctorum precibusque pro defunctis fundendis loqui cupis. Surdum te præterea diabolus reddidit: neque enim de Pœnitentia de Quadragesima, de castigatione corporis audire vis: occludis aures imaginibus, traditionibus, purgatorio, ac præsertim tremèdo Missæ sacrificio. Vos vero Episcopi, cum dæmonum eiectionem potestatem habeatis, hos quoque ad cæcesum vestrarum limite procul eiecit: tu vero Domine, si ad te noliat conuerti, procul ab Ecclesia tua eosdem ablega.

Quamobrem Domine, tedde, obsecro, visum miseris hisce mundanis, vanitate mundi huius excæcatis: visum hisce aulæ mæcipijs, qui mundum paradisi eiusdem loco habent, cum tamen inferno ipso deterior, & mari sit periculosior: visum miseris hisce mulieribus quæ se forma Iunones & Veneres putant antecellere, quæ se instar reginarum vestiunt & adornant: quæ fragilem hanc pulchritudinem corporis tantum faciunt, & præ cæcitate videre nequeunt, eam non nisi florem esse qui maneat, meridia flaccescat, ac vespere emoriatur: ac non nisi quædam picturam, quæ ad minimum contactum corrumpatur, delectatur, & minima aduersitate & morbo inquinatur. Aperi igitur oculos miseris hisce dæmoniacis, & aures surdis & obstinatis peccatoribus, inque scelerum profundo ac voragine defixis. Redde loquelam mutis, solue linguæ vinculum miseris pœnitentibus, ut in confessione libere, ac sine vilo impedimento loqui possint: nobisque gratiam concede, ut mirabilia tua semper in hoc mundo de prædicemus, teque in gloria facie ad faciem contemplemur.

Amen.

FERIA